



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CL. Argumentum. Ostenditur. Quàm grave peccatum sit Blasphemia? & quibus argumentis retrahendi sint homines ab hoc delicto?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Choreæ id efficiunt in mulieribus, quod Salamandra in Arboribus, quas tangit, scilicet veneno statim inficit & plantas, & fructus teste Plin. lib. 29. cap. 4. Quapropter ait Divinum Oraculum. *Filia Patris abscondita est, vigilia, & sollicitudo ejus auferit somnum; ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat; ne quando polluat in Virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniat. Eccles. 42. 9.*
 15 Et viris optimis semper visum est necessarium ad mulierum servandam pudicitiam, eas non interesse consortiis hominum. Tholosanus *Syntagm.*
 16 *Jur. Univers. lib. 47. cap. 11. num. 13.* Hinc mulieres non admittebantur ad convivia, ut legentibus patet, in cœna Bellazaris. *Dan. 5.* in Conviviis Ahasveri *Esther. 1.* & in cœna Herodis. *Marc. 6.* & apud Ciceronem *Orat. 2. contra C. Verrem*, in qua narrat, quendam Rubrium hospitatum à Philodamo petiisse, ut advocaret ad mensam ejus filiam, quod omnino hospes recusavit, quia talis mos erat. Imò apud antiquos thalami mulierum separati erant ab hominum consortio. Rebecca enim ducta ad maritum recepta fuit in tabernaculum Saræ. *Genes. 24. 67.* Et pudicissima Judith. in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. *Judith. 8. 5.* & scribens Philo Hebr. contra Flaccum dixit: *Mulieres conclusæ, nunquam è conclavi egredi solitæ, & Virgines in thalamis suis habitantes, & pra pudore declinantes aspectum etiam maxime familiarium. Menochius in Oeconom. lib. 5. c. 7. num. 4.* Quibus ad stipulatur *Psal. 127. 3.* *Uxor tua sicut Viris abundans in lateribus domus tuæ.* Igitur Choreæ, & saltationes, destruentes has omnes caute-
 17 las pro mulierum pudicitia servanda, continuatis temporibus servatæ honestatis causant naufragium.

Bonorum Temporalium amissio est Tertium
 18 principale malum, proveniens à Choreis; tum quia in eis vita frequenter perditur, ob rixas, vulnera, & homicidia, zelotypiæ causa: tum etiam quia in earum vindictam, & punitionem, præcipue ob violationem Festivitatum Sanctarum, Deus mittit tempestates, fulmina, & grandines, quæ plantas, & fructus terræ dissipant. Propter peccata veniunt adversa: quia Propter iniquitatem corripuisti hominem. *Psal. 38. 12.* Quando videntur Delphini super aquas saltantes, vicina est maxima tempestas. P. Segneri in Christian. Instructo d. *serm. 29. num. 16.* Et quando in Villis fiunt Choreæ, & saltationes, expectetur devastatio frugum, vitium, & arborum. Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisus es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te. *Ezech. 25.* Legatur exemplum in Diœcesi Colonienſi sequutum tremendæ grandinis, omnes plantas auferentis, ob saltationes contra voluntatem Parochi frequentatas. *Matthæol. d. pag. 2. l. 7. cap. 1. tit. 5. exempl. 5. in Sylva Historiali.*

Quoad Secundum. Argumenta, quibus erit
 20 utendum à Parochis, pro eliminandis Choreis, & saltationibus, erunt mala prædicta, si frequenter, cum zelo, & spiritu illa plebibus prædicabunt, cum exemplis & autoritatibus præ-narratis; & in confessionibus suadere studebunt tum puellis, tum Adolescentibus eadem mala, ut ab eis abstineant. Præcipue monere
Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

debeant Patres, & Matres familias, ne permittant filios, & filias accedere ad Choreas, sunt enim rationem Deo reddituri de mala custodia natorum, quos à Deo obtinuerunt, tanquam pignora deposita, ut custodiantur. Proderit diebus festis, post decantatas Vesperas, sermonem habere ad populum, exponere Venerabile Sacramentum Altaris per aliquod temporis spatium, recitare Rosarium, orare pro Defunctis, sic enim fidelis populus amplectendo quæ Dei sunt, derelinquet, quæ sunt Diaboli, Choreas scilicet, & saltationes, ut docuimus etiam supra *decis. 4. num. 9.* nec non *decis. 18. num. 6.* in casibus Prudentialibus illarum Decisionum.

DECISIO CL.

ARGUMENTUM.

Ostenditur: Quam grave peccatum sit Blasphemia? & quibus argumentis retrahendi sint homines ab hoc delicto?

SUMMARIUM.

1. Blasphemia nomen à quo verbo derivetur? & quid sit?
2. Blasphemia committitur ore dupliciter.
3. Blasphemia duplex hæreticæ, & simplex.
4. Blasphemia gravissimum peccatum.
5. Deus offenditur immediate à blasphemis.
6. Homo putredo, & vermis.
7. Christiani hominis excellentia.
8. Lingua prior cæteris membris sacratur Sale benedicto in Baptismo.
9. Lingua blasphemia ignis comburens.
10. Malus habitus blasphemandi non excusat à peccato.
11. Blasphemantium excusationes frivola.
12. Argumenta ad coercendos blasphemos.
13. Damnationis signum blasphemia.
14. Infamia ex blasphemia.
15. Delectatio nulla ex blasphemia.
16. Judæis peiores, qui blasphemant.
17. Diabolo peiores blasphemæ.
18. Blasphemorum penitentia antiqua.
19. Lingua abscessio, & pena mortis blasphemæ, & alia.
20. Lapidatio ex lege Divina.
21. Exempla blasphemorum à Deo punitorum & num. 24.
22. Pestilentia, terra motus, & famæ ob blasphemias.
23. S. Philippi Renitii ultio prænuntiata in blasphemos.
24. DEIPARAM hæreticus blasphemans, quomodo punitus?
25. Hæretica parturit fuculas, dum blasphemat.
26. Usurarii blasphemæ ultio.
27. S. Malachias à blasphemæ irrisus, sed iste punitus.
28. Blasphemus in S. Amandum à demone occiditur.
29. Penitentia voluntaria sumenda à blasphemis.

PRæmiserunt primò: Blasphemiam esse græcam vocem, compositam ex Verbo *βλάπτω* quod significat *lædo*: et nomine *φῆμι* quod est *fama*, unde *βλασφημία* est fama lædo; & ideo Blasphemia est Verbum contumeliosum, quo quis derogat, & conviciatur Divina Excellentia: quamvis enim etiam solo corde vel facto quis possit blasphemare; verè, & propriè blasphemia ore, & verbis com-

mittitur. Fit autem dupliciter; videlicet *Directè*, quando immediate vel attribuitur Deo imperfectio, seu iniquitas, quam nec habet, nec habere potest; vel auferitur ab ipso Deo Bonitas, seu Potentia, quæ a Deo est inseparabilis. Sive *Indirectè*, quando blasphemia sunt contra Deiparam, vel Sanctos; sicut enim Deus laudatur in Sanctis ejus; sic offenditur, & læditur, dum ipsi blasphemantur. Summa Diana *Verb. Blasphemia*. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 6. à num. 1. & seqq. Mastrius in *Theolog. Mor. disput. 11. num. 40. & Tholosanus Syntagm. Jur. Univ. par. 3. lib. 33. cap. 12. à num. 3. & seqq.*

Secundo præmiserunt: Duas esse species blasphemiae, *Hæreticalem unam*, & est illa, quæ repugnat directè articulis fidei, vel continet falsitatem de Deo, vel tribuit creaturæ, quod convenit soli Deo; etiam si blasphemans id esse verum non credat, imò sciat, esse falsum. Layman. d. cap. 6. num. 7. Nicolus in *Lacubrar. Civil. lib. 4. tit. 18. num. 46. Diana part. 6. tract. 8. resol. 38. Quæ in Coordinato est rom. 5. tract. 8. resol. 11. Lazarus de Blasphem. quest. 7. num. 6. Et Carena de Offic. S. Inquisition. part. 2. tit. 7. §. 1. & 2. Alteram *Simplicem*, in qua non est falsitas contra fidem, sed contumelia in Deum, & hoc tripliciter velenuntiative, vel imprecative, vel cum irrisione. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quest. 1. & 2. Layman. d. num. 7. & 8. Et nos, qui de hoc peccato præcisè tractavimus supra *Decis. 17. & Decis. 18.* cum aliis sequentibus. Novissime Bontempi tract. 7. num. 68.*

His præmissis dixerunt; gravissimum esse peccatum blasphemiae triplici respectu: *Objecti offensi, Personæ blasphemantis, & effectus provenientis à blasphemia.*

Primo gravissimum, & enormissimum delictum est blasphemia respectu *Objecti offensi*, quod est *DIVINA MAJESTAS*, vel *CHRISTUS SALVATOR*, sive *DEIPARA*, aut *SANCTI*. Et ideo protulit Sanctus Hieronymus hanc sententiam super Isai. cap. 18. *Nihil horribilius blasphemia: omne quippe peccatum, comparatum blasphemia, levius est: quod confirmat S. Thomas 2. 2. quest. 13. art. 3. Probatur. Blasphemia immediate Divinam Bonitatem offendit. Male agit qui percutit famulum Principis, pejus, qui Principis Ministrum, pessime qui aggreditur, & ferit Principem ipsum; est enim delictum Læsæ Majestatis. Ita qui furatur, adulteratur, odio habet proximum, offendit quidem Deum, sed mediatè in suis creaturis, quasi famulis, & ministris; cum scriptum sit: Per pravariationem legis Deum inhonoras. Rom. 2. 23. Hæc enim peccata procedunt vel ex infirmitate nostræ naturæ, vel ex ignorantia, & mediatè tantum offendunt Deum. Porro blasphemia est peccatum absolute malignitatis, intolerabilis audaciæ, & infinite malitiæ, immediate feriens, & percutiens ipsum Deum, Summum Bonum, Dominum universorum, Omnipotentem, Omniscientem, quem Cherubim quoque, ac Seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt Cæli, & terra Majestatis gloria tua. Qui nobis omnia bona largitur. Et ideo blasphemiam esse crimen Læsæ Majestatis Divinæ, atrocissimum, nefandissimum, & omnium quorumcunque aliorum delictorum, & maleficiorum maximum, ait Lazarus de Blasphem. in præfat. num. 3. Hinc illa Verba verissima, sed terrore plena: Si*

peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2. 25. Lingua enim quæ blasphemat, Contra omnipotentem roborata est, Job. 15. 15.

Secundo gravitas, & enormitas blasphemiae resultat à qualitate blasphemantis: siquidem: *Quis est hic, qui blasphemat, scilicet Homo? Quis inquam est Homo, Non est aliud, nisi Patredo, & Vermis, Job. 25. 6. Horrendus ausus, quod creatura humana ita vilis, succida, miserabilis, audeat offendere Deum blasphemando. Sed crescit horror, cum blasphemans non solum sit homo miserimus, sed homo Christianus. Si Tartarus, si Indus, uterque Paganus, Deum ignorantes, blasphemarent, esset tolerabile. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Psal. 54. 13. Sed Christianus homo, filius Dei per gratiam, consors Angelorum, particeps Divinæ Mensæ, cohares Christi? Quæ dulces tecum capiebas cibos? Populus Christianus, qui est Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus acquisitionis, qui stricto, ac proprio debito tenetur, Virtutes annunciare ejus, qui de tenebris illum vocavit in admirabile lumen suum? 1. Petr. 2. 9. Lingua cujuscunque Christiani debet esse thuribulum aureum, thymiamate plenum, quo Deum suavisimam orationum, & benedictionum odoramentis honorificet. Etequidem lingua Christiani, prior cæteris membris, consecratur in Mystero Baptismi, Sale benedicto. Hinc illud Vaprovocatrix, & Redemptrix Civitas? Sophon. 3. id est Væ animæ redemptæ Sacramento Baptismi, quæ audet conviciari, & blasphemando impropere Deo, sicut scriptum est: Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus, excepto convicio, & improprio. Eccl. 22. 26. En igitur, e vilitate hominis, quomodo resultet gravitas blasphemiae, & præcipue hominis fidelis, hominis Christiani. Lazarus de Blasphem. in d. præfat. num. 4.*

Tertio augetur enormitas blasphemiae ab effectu, quem producit, nempe dilatatione tanti facinoris in audientes, nam cum lingua blasphemia sit lingua inflammata à Gehenna, Jac. 3. 6. Dilatat tanquam incendium hoc scelus in alios; ideoque inferiores discunt blasphemare, quia audiunt blasphemias à majoribus; famuli audientes Dominos, filii sentientes eorum Patres: & ita tanquam flamma diffunditur; & non contenti blasphemare: Blasphemare faciunt nomen Domini ab aliis. Apoc. 13. 6.

Nec suffragantur duæ excusationes: *Una*, quod ob malum habitum blasphemant. Nam furi dicenti, quod non suspendatur in furca, quia furatus est ex malo habitu furandi, quem fecit, Judex respondet, imò centum furcas tibi parare oportet, si capax esses, ob hunc malum habitum tuum. *Alteræ*, quod blasphemus non intendat Deum offendere, sed iram suam exhalare, & timorem sibi subditis, aut animalibus incutere. Nam si quis sputum projiceret super vestem Principis, dicens ob tusum, vel ad excreandum stomachum id fecisse, non ad injuriandam Principis Majestatem, utique puniretur graviter, quia non defunt loca consuenda. Ita dicendum est de blasphemo: non potest enim iræ suæ locum dare per verba indifferentia, & excitare subditos, seu animalia absque vomitu blasphemiarum. Lazarus de Blasphem. quest. 7. à num. 61. & seqq. Notetur similitudo. Quis abuteretur Planeta sacra, vel Pluviali ad teritandas aves in agris? Ut minora bona facias, Dei Majestati conviciari? S. Greg. Nazianz.

OTAT.

Orat. 21. ait: Damones ad Christi nomen exharrescunt; nos vero Nomen adeo venerandum contumelia afficere non veremur?

12 Argumenta autem, quibus Parochi, ac Verbi Dei præcones uti poterunt pro emendatione populorum, & ad eliminandum hoc pessimum scelus, erunt sequentia.

13 Primò: Quòd benedicere Deo sit signum Prædestinationis: & è contra maledicere, & blasphemare sit certum signum damnationis. *Benedicentes ei hereditabunt terram: Maledicentes autem ei disperibunt. Psalm. 36. 22. & illud Axioma sacrum, sed timendum, & tremendum. Homo, qui maledixit Deo suo, portabit (id est in aliam vitam, moriendo sine poenitentia) peccatum suum. Levit. 24. 15.*

14 Secundò: Quòd ignominia maxima sit proferre Verba blasphemiae, adeò ut secundum leges humanas blasphemi sint infames. *Graffius decis. aur. lib. 2. cap. 20. part. 1. & multo magis ex lege Divina: Qui contemnunt mo, erunt ignobiles. 1. Reg. 2. 30.*

15 Tertiò: Quòd in hoc peccato nulla sit utilitas, nullavè delectatio, prout in aliis: siquidem in blasphemia nil reperitur, nisi rabies, indignatio, & malitia; idcirco dicebat Apostolus; *Blasphemia tollatur à Vobis cum omni malitia. Ephes. 4. 31.*

16 Quartò: Quòd blasphemantes sint viliores Judæis, qui ex malitia quidem, sed cum ignorantia Prætereuntes blasphemabant eum. *Marth. 27. 39. quia non credebant Christum Dominum Crucifixum esse Filium Dei.*

Quintò: Quòd blasphemi homines sint filii Diaboli: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria ejus vultis perficere. Jo. 8. 44. & quis gratiam habebit hanc filiationem?*

17 Sextò: Quòd imò sint pejores Diabolo; ipse enim blasphemat Deum ob tormenta, quæ in eum inflixit Divina Justitia, ex qua Deus glorificatur. *Blasphemaverunt Deum Celi præ vulneribus suis. Apoc. 16. Porro homines Christiani Deum blasphemant, à quo innumerabiles gratias, & misericordias recipiunt, tum temporales, tum spirituales. Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum. Psalm. 102. 3. Dignus est morte canis rabidus, qui mordet Dominum suum. Sed rabidissimus est censendus, & centum globulis igneis confodiendus, qui mordet Dominum, sibi panem porrigentem, & blanditiis amplexantem.*

18 Septimò: Quòd ab Ecclesia hæc statuta sit Poenitentia spiritualis in blasphemum, ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in conspectu populi recumbens, ultimo illorum dierum Dominico, sine pallio, & calceamentis, corrigia ad collum alligata, sedeat, Ecclesiamque non ingrediatur, nisi sex feriis in pane, & aqua jejunaverit, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecerit. *Cap. 2. de Maledictis. Tholosanus Syntagm. Jur. part. 3. lib. 33. cap. 12. num. 5. Et ulterius si blasphemus fuerit clericus, deponatur, si laicus excommunicetur. Si per capillum 22. quast. 1. Nostri autem temporibus blasphemia est casus reservatus.*

19 Octavò: Quòd per leges civiles etiam poena mortis afficerentur blasphemi. *Jul. Clarus §. Blasphemia num. 10. & segg. Farinacius quast. 179.*

Lazarus de Blasphem. quast. 5. Carena d. part. 2. tit. 7. §. 18. & lege Veneta abscinditur lingua blasphemo præter alias poenas corporales. Prior. in Praxi Venet. crimin. pag. 118. S. Ludovicus Galliarum Rex blasphemus ignito sigillo ferreo in frontem bullari decrevit. Paulus Emilius lib. 7. Hiflor. Galliar. Et ejus successor Philippus Rex in flumen submergi. Theatrum Vitæ hum. Vol. 13. lib. 3.

Nonò: Quòd in lege Divina sic statutum fuit; videlicet: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimeret eum omnis multitudo. Levit. 24. 16.*

Decimò: Quòd Deus sit ultor severissimus hujus horrendi piaculi, ut de Pharaone, Herode, Maxentio, Juliano, & aliis blasphemis; de quibus Tholosanus dict. cap. 12. num. 7. ponit hos versus.

Impius occubuit gelidis Maxentius undis,

Putribus Herodes tendibus esca fuit.

Perfida Julianum blasphemum sica peremit,

Constricto penas Commodus ore dedit.

Morsit & in tumidas cæcum Pharaona sub undas,

Sicut & tu justa cades, Philiste, cadis.

Undecimò: Quòd, propter blasphemias, & 22 fames, & terramotus, & Pestilentie fiant. *Aut. Ut non luxurentur homin. Tholosanus d. cap. 12. num. 6. & Lazarus de blasphem. in Præfat. num. 7. Ideo Joannes Chrysostomus exclamabat in Hom. 2. ad Popul. Antiochen. Obstruamus blasphemantium ora, & tanquam fontes mortiferos occludamus, ut penitus evanescant mala, quæ Civitates comprehenderunt.*

Duodecimò: Quòd ex Historiis Ecclesiasticis, & gestis Sanctor. semper prompta fuerit ultrix Justitia Divina in blasphemos; Ideo notanda infra scripta exempla.

Contra Blasphemantes DELLAM.

Narrat Bzovius in Annal. Ecclesiast. ann. 1285. 23 num. 18. qualiter, quodam tempore apud Lavinum amnem, inter Bononiam, & Mutinam: sub arboris umbra, sole ardentissimo, diversatus in itinere Sanctus Philippus Benicius, nonnullis blasphemantibus divinam ultionem prædixit, quæ illos, statim ut ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de Cælo in modum turbinis descendens, arborem cum illis prorsus absumpsit.

Vincentius in Specul. Hist. lib. 21. cap. 3. Tempore Anastasii Imperatoris in Africa Olympius quidam, dum in balneis Sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito jaculo, coelitus veniente, visibiliter combustus est.

Antipratanus lib. 2. cap. 49. Frater quidam Ordinis Prædicatorum, bonus quoque, & veridicus narravit mihi, quod quidam tesserarum ludo nudatus, adeò desperatus esset, ut arrepto arcu, sagittam sursum in aere jaceret, quasi ipsum Cæli Dominum percussurus. Et mox sagitta reversa ante faciem jacentis, sanguine recenti totaliter infecta reperta est. Qui mox in maximis lacrymis resolutus, confessus, vitam suam cum mira poenitentia, ac devotione correxit.

Contra Blasphemantes DEIPARAM.

Gumpenberg, de Imag. B. M. Vrg. Mis. Le. 25 nica, in Polonia. Villæ Mis. Lenicensis OEconomus Catholicus domi ad parietem appensam hanc Deiparæ habebat sacram Imaginem: semel igitur quibusdam secum coenantibus, allatum est ferculum è pultibus, duriusculè coctum, inter

hos unus Dominus Goyphy hæreticus arrepto cultro, pultibus usus pro charta, designare apice cultri cepit, (ob irrisum) imaginem Deiparæ ex objecto pariete pendentem; sed quocunque cultri apicem ducebat, exibat e pultibus cruor: quod tamen ille tum primum advertit, postquam manus rigore correpta cultrum amisit. Hoc territus, vovit, se fore catholicum, & repente brachii, manusque rigorem abiisse, seque sanatum esse sensit.

26 Guilielmus Lindanus in *Apolog. pro Relig. Carhol. cap. 11.* Muliercula quædam, oppido Hollandiæ, Aspera partuire cepit; convenere vicinæ, atque cognatæ: ubi illa enteretur difficilius, & gravillimè, non minùs, quàm periculosissimè laboraret, una circumstantium, pio ex more puerperam admonet, ut Divam Virginem MARIAM invocaret auxilatricem. Cui illa: Quid mihi istam, inquit, dicis scrofam? Erat enim infelix mulier hæretica. Verùm non defuit vindicta Dei; paulò enim post, nigellæ aliquot in lucem edidit, sed emortuas fuculas.

27 Augustinus Mannus in *Select. Hist. cap. 94.* In Civitate Theatina fuit Usurarius lepra à Deo punitus. Vovit, ut sanitatem reciperet, mittere eleemosynam centum aureorum ad Domum Lauretanam. Misit, & sanitatem recuperavit. Revertitur ad usuras, & correptus ab amico, respondit: si foenus peccatum esset, Deipara meam pecuniam non acceptasset. Nocte expergefactus sensit se iterum leprosum, & subter renes quasi titiorem igneum. Accurrit uxor, & ibi reperit crumenam cum pecunia, jam ad Lauretanam domum transmissam. Paulò post Usurarius infelici morte consumptus est. Videatur supra *decif. 29. num. 12.* ubi verba ipsius Manni transscripti.

Contra Blasphemantes Sanctos, ac Servos Dei.

28 S. Bernardus in *Vita S. Malachia.* Quidam petulantis, & infruniti oris, S. Malachiam Hiberniæ Primatem appellaverat simiam; & Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os suum, dum consisteret peccator adversus eum. Sed ejus vindictam fecit Dominus. Eadem die Virum illum effrenis linguæ arripuit Dæmon, in ignem projecit, & varie cepit torquere; & non nisi vocato S. Malachia, eoque orante potuit liberari.

29 Philippus Abbas Bonæspei in *Vita S. Amandi cap. 38.* Vir Domini Vasconum fines ingressus, populo adhuc Idololatæ fidem Catholicam prædicabat. Quidam de turba levis, & lubricus cepit turpes effutire blasphemias, non sine cachinno & in servum Dei, & in fidei doctrinam. Statim corripitur à Dæmone, & lanio factus corporis sui, non multò post, procacem spiritum pœnis urgentibus exhalavit.

Hæc, & alia plura exempla punctionum, si Parochi enarraverint populo, quæ reperient apud S. Gregorium *lib. 4. Dialog. cap. 18.* in Admir. orbis Christiani *to. 2.* & in sylva Histor. Matthæoli *p. 1. l. 5. tit. 27.* Divino afflante Spiritu, blasphemix extirpabunt.

30 Ultimo doceant blasphemos suscipere voluntariam penitentiam, quacunque vice, ex habitu malo, labantur in hoc peccatum; alii enim ea die ab esu carniū, alii à potu vini abstinentes, alii aliam mortificationem facientes, se emenda-

verunt. Matthæoli *d. tit. 27. exempl. 11.* Quod si non fecerint, clangant Parochi, & Prædicatores, quasi tuba, & comminentur blasphemis horrendas, & æternas pœnas inferni, juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore; quia blasphemaverunt Deum Celi, & non egerunt penitentiam ex operibus suis. Apoc. 16. 11.*

DECISIO CLI.

ARGUMENTUM.

Indicatur, Quam grave piaculum sit Irreverentia in Ecclesiis? Quibus remediis eidem occurrendum?

SUMMARIUM.

1. Irreverentia in Ecclesiis peccatum gravissimum.
2. Animalium irrationabilium virtutes morales.
3. Deus in Ecclesiis præcipue colendus.
4. Irreverentia actus in Ecclesiis.
5. Irreverentia in Ecclesiis piaculum grave ob tria:
6. Judæi ingredientiæ Templum, osculabantur pavementum.
7. Scholarius aliquorum audientium Missam peccata octo. Et quæ?
8. CHRISTUS Dominus præcipue in Ecclesiis honoratur.
9. Dotes gloriosa CORPORIS CHRISTI debita ab Incarnatione.
10. Mulierum peccata in Ecclesiis.
11. Mulieres ornata ab Ecclesia interdicta per S. Antonium.
12. DEIPARA cur vocata Vas insigne devotionis.
13. Offenditur graviter ob irreverentias in Ecclesiis.
14. Exempla vindictæ Divinæ ob irreverentias in DEIPARAM.
15. Lauretana Sacra Domus translationum causa.
16. Sancti summa cum reverentia stantes in Ecclesia.
17. Vetula in Japonia Baptizata à S. Francisco Xaverio devotio.
18. Sancti in Cælo obsequentes Deo.
19. Angeli coram Altissimo tremantes, & genuflectentes in Ecclesiis.
20. Domus Dei est Ecclesia.
21. Ecclesiarum Christianorum, & Templi Salomonis differentia.
22. Delinquens in Palatio Principis reus est læsæ Majestatis.
23. Equus alligatus muro Ecclesia vertitur in furorem.
24. Artifex impura canens in Basilica Sancti Petri, punitus.
25. Ecclesiarum ob reverentiam præmia & bona.
26. Flagella Divina ob irreverentiam in Ecclesiis.
27. Terramotus ob Ecclesiarum contemptum.
28. Templum Salomonis in figura Leonis. Et cur?
29. Bella ob irreverentiam Ecclesiarum.
30. Ecclesia Sponsa Christi.
31. Irreverentia in Ecclesiis gravia crimina.
32. Oves Hebræorum non depascebant in Monte Horeb. Et cur?
33. Animalia genuflectentia in Ecclesiis.
34. Filius Prodigus cur non punitus à Patre?
35. Theodosii Imperatoris reverentia in Ecclesia.
36. Ignorantia, neque inadvertentia excusat Profanatores Ecclesiarum.
37. Exempla Profanatorum Ecclesiarum punitorum.
38. Mulieres in Ecclesiis telis separentur à Viris.

Dixit.